

DE LITIGIOSIS.

8.37.1

Impp. Severus et Antoninus AA. Paulinae.

Cum creditor pignus vendit, non potest videri litigiosae rei emptio contrahi,
etsi debitor interdicat, ne venditio perficiatur.

PP. k. Mai. Apro et Maximo consss.

[a. 207]

8.37.2

Imp. Constantinus A. ad provinciales.

Lite pendente actiones, quae in iudicium deductae sunt, vel res,
pro quibus actor a reo detentis intendit, in coniunctam personam
vel extraneam donationibus vel emptionibus vel quibuslibet aliis contractibus
minime transferri ab eodem actore liceat, tamquam si nihil factum sit,
lite nihilo minus peragenda.

D. k. Aug. Basso et Ablabio consss.

[a. 331]

8.37.3

Imppp. Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA. Tatiano pp.

Quicumque rem litigiosam vel ambiguum chirographum, quodlibet denique
mobile vel immobile fisco nostro vel potentiori seu aliis personis
in testamento sive codicillo legaverit fideiive commiserit aut per hereditatem
reliquerit, nullam fiscus noster vel alia persona licentiam habeat iurgiorum,
nec iudicium subeat, sed aestimatio eius fitis ineatur praestanda his,
quibus actiones vel res litigiosae relictae sunt.

1 ¶ Eandem litem ipsi heredes peragant, suarum actionum periculo
ea quae litigiosa relicta fuerant vindicantes.

2 ¶ Quod et de chirographis placet, ut heredes relictorum fisco
vel aliis personis praesentem pecuniam numerent et iudicio eos,
quos obnoxios existimant, persequantur.

D. XV k. Iul. Thessalonicae Gratiano V et Theodosio AA. consss. [a. 380]